

TOMUS XXXIV.
MISCELLANEOUM.

~~G.V.f.~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.

VITEBERG.

V-45.

SIGNAT. MDCCCXIII.

6 bände:

I

THESES
CONTRA PSEVDE-
VANGELICOS

PROPOSITÆ
IN ACADEMIA HEIDEL-
bergenſi, ut de eis Christiana cu-

ζητησις instituatur,

Præſide

DANIELE TOSSANO, S. THEO-
logiæ, D. & profefſore,
RESPONDENTE.

GEORGIO REINMANNO
DRESVURTENSI HASO.

Calend. Nouembr. in auditorio Theologico.



HEIDELBERGAE,
Apud hæredes Smeſmanni.

ANNO clv. lv. xcV.

25



INCLITAE EXPECTATIONIS
IUVENI, INDOLISQUE GENEROSIS-
sima, D. IOHANNI AMORTARLO
DE SEZEKARZOVVICE, Palatinidi
Lublinensi, & capitaneo Pils-
nensi, &c:

MULTA amittimus cum lacrymis (inquit Se-
neca) in quibus non tam damnum est mole-
stum, quam opinio damni. Deplorant alij rei
familiaris iacturam: alij dignitatum & fauo-
ris aulici: alij alia. Ego generose D. Baro, cū multis pijs, amif-
sum veterem Zelum, veterem sinceritatem, caritatem, & alia
natiuae fidei documenta deplorare soleo. Ridentur illi, hyber-
no praesertim tempore, qui in vestitu colorem, potius quam ca-
lorem quarunt. Magis ridiculi (meo iudicio) sunt, qui colore
Christianismi contenti, nunquam feruida fide & caritate in-
calescunt. Expressit mihi igitur infelix huius peruersi & in-
grati seculi conditio has contra pseudeuangelicos theses, quas
Generositati tuae non solum testificandae obseruantiae & gra-
titudinis causa inscribere volui: verum etiam, quia tam pium
& candidum pectus perpetuo adolov, totumq; Euangelicum
conseruari cupio, & opto. Respondentem adhibui, pium &
eruditum iuuenem, nostrarum scholarum alumnium, Geor-
gium Reinmannum, cuius patruus, fidus in Hassia verbi di-
uini minister, dominus Georgius Reinmannus, pastor
Eschwegegensis, ante annos 33. in Gallia mihi innotuit, quo
tempore in Gallicis Ecclesijs, & in Gallica inprimis nobilitate
Euangelici mores longè euidentius & certius, quam hodie,
proh



II
proh dolor, deprehendebantur. Gratulor tibi verò hunc ani-
mum, cui in pietate simul, & in omni præclara literatura
proficere haudquaquam labor, sed voluptas est: & idcirco ad
mensēs decem in nostra Academia non sine laude versatus,
nunc Argentinam te contulisti, ubi nominatim ex clarissi-
morum eximiorumq; virorum, D. Gothofredi, D. Glaseri, &
D. Melchioris Iunij lectionibus, atq; colloquijs summum eru-
ditionis omnigena, & eloquentia incrementum procul dubio
consequēris. Vale & salve, inclite & generose domine Baro,
cum nobiles ac doctissimis morum, & studiorum tuorum
moderatoribus, D. Mariano & D. Moravio, quorum du-
ctum dum sequeris, summa quæque à T. G. expectare non de-
sinam. Heidelbergæ, die Amandi, 26. Octobr. qua die anno 76.
in Christo obdormiuit placidè Elector Fridericus III. Pius,
cui tunc à concionibus eram, sanctissimiq; ex hac vita exitus
cum multis alijs spectator adfui.

T. G.
addictissimus
D. Tossanus.



THESES CONTRA PSEV- deuangelicos.

THESIS PRIMA.



Argumentum aliquod hodie necessariò, & ta-
men circumspèctè ac prudenter tractandum,
benèque in Ecclesia expendendum est: istud o-
mnino esse videtur, quod veros Euangelicos à
pseudeuangelicis distinguit.

I I.

Necessariò quidem: tum propter grauißimas commonefa-
ctiones Scripturæ quales sunt hæ: Matth. 7. *Non quisquis dicit
mibi Domine, Domine, intraibit in regnum cælorum: Item, 2. Tim.
3. In extremis temporibus multos fore, qui formam pietatis habeant:
sed qui vim eius abnegent. Item, Hebr. 4. Multis euangelizatum
fuisse sermonem vitæ, quibus non profuerit: quòd eorum auditus ve-
ra fide contemperatus non esset. Et 2. Pet. 2. Satiùs fuisse multis non
cognouisse viam Iustitiæ, quam illa cognita, regredi a sancta doctri-
na ipsis tradita.* Tum quia res ipsa loquitur, eos qui hodie se
maximè scientia abundare putant, conscientia parum habere:
turpissimis vitiis seruire qui se liberos, liberaliumque artium
studiosos profitentur: mortuos denique pauperes & cæcos es-
se vt loquitur in Apocalypsi B. Iohannes: eos qui se splendide
ac in rerum omnium affluentia viuere existimant.

I I I.

Prudenter autem & circumspèctè de hoc argumento idcir-
co differendum est, ne vel in Donatistarum & Anabaptistarum
scopulos incidamus, qui propter multos pseudeuangelicos,
secessionem ab Ecclesia fecerunt: Vel errores, falsasque ratio-
cinationes Schvvenckfeldij, quibus copiosus eius tractatus de
Euan-

III

Euangelio, & abusu Euangelij refertus est, confirmare videamur.

I V.

Nos igitur in his thesibus, hunc ordinem tenebimus vt, primùm ex Dei verbo recognoscamus & doceamus, quinam reipia sint Euangelici, siue quid Euangelio Christi, quod profite-mur, sit contentaneum: Deinde quantopere multi hodie ab illa Euangelij sincera professione aberrent, siue quinam sint pseudeuangelici. Postremò nonnullas Schismaticorum, & Schvvenckfeldij falsas conclusiones paucis refutabimus.

V.

Ad Euāgelij, id est, doctrinæ de filio Dei in nostra carne manifestato, eiusque gratia & beneficiis, veritatem, siue veram ac salutarem professionem, duo hæc requiri, monet Apostolus: Primùm, vt sincerè doceatur, & recipiatur recta doctrina nostræ iustificationis per Christum, Gal. 2. v. 5, & 14. Deinde, vt sermo ille veritatis fructum copiosum & conuenientem proferat. Coloss. 1. v. 5 & 6. *id est, sicut dignum est Euangelio Christi, nos geramus. Philipp. 1. v. 27.*

VI.

Negat enim D. Paulus, Eph. 4. v. 5. & 6, Eos Christum & eam veritatem, quæ est in Christo Iesu, rectè didicisse, qui in vanitate mentis suæ versantes, cupiditatibus huius seculi indulgēt. & 1. Thess. 2, ait, se Euangelium sic prædicasse, vt perpetuò auditores suos sit obtestatus, vt ambularent sicut dignum est Deo vocante nos ad regnum suum & gloriam.

VII.

Qui habet Fidei veritatem (inquit Cyprianus) seruat Dei timorem: Qui autem Dei timorem seruat, etiam caritatem & misericordiam erga pauperes seruabit.

De opera
& eleme
ntina.

VIII.

Quod ipsum sæpè inculcat D. Paulus, eos videlicet, qui fide viuunt, Christum habere habitantem in cordibus suis: non viuere amplius secundum carnem, sed secundum ductum illius Spiritus, qui Christum ex mortuis excitauit: Qui verò Spiritū illum Christi non habent, haudquaquam posse gloriari se esse Christi: vel, quod eodē redit, verè Christianos & Euangelicos.

Rom. 8.
Eph 3.
Rom. 8.

A 3 Illius

IX.

Gal. 5. Illius porrò spiritus ἐνεργήματα non solùm sunt fides, gau-
dium & pax spiritus: verùm etiam charitas, lenitas, benignitas,
bonitas, mansuetudo, temperantia, &c.

X.

Marc. 1. Tit. 2. Sicut & Euangelium, licet propriè sit doctrina gratiæ in
Christo exhibitæ: coniunctam tamen habet adhortationem
ad pœnitentiam, quia pœnitentibus demum & credentibus
gratia illa salutifera promittitur, quæ nos erudit, vt abnegata
impietate & mundanis cupiditatibus, temperanter, iustè & piè
in hoc seculo viuamus.

XI.

Et I. Timoth. I. monet Apostolus, omnes illos à scopo aber-
rare, qui vel consentanea fidei, & sanæ doctrinæ non sectantur,
sed ad curiosas ac vanas quæstiones animum adiiciunt: Vel
sunt ἀτακτοι, Legis diuinæ contemptores, mendaces, periuri,
&c: quæ omnia sanæ doctrinæ, quæ est secundum Dei glo-
riolum Euangelium, opposita sunt, (inquit ibidem D. Paulus.)

XII.

In Apolo-
get. Et ad
Scapul. Quemadmodum & Tertullianus veteribus Christianis hoc
tribuit elogium, quod non verbis solùm, verùm etiam factis
docuerint, non aliunde magis agniti, quàm ex emendatione
vitiatorum pristinatorum.

XIII.

Matth. 5. Philipp. Philip 4. Ut enim Sol per radios, quos spargit, & pretiosum vnguen-
tum per suam fragrantiam sese prodit: Sic lucet lux filiorum Dei
in sancta conuersatione, & omnibus pietatis officiis, vt sint
omnes eorum actiones instar thymiamatis bonæ fragrantiae
coram Domino.

XIIII.

Quapropter CHRISTIANVM virum definit Eusebius, lib.
I. Hist. eccles. cap. 5. qui per Christi cognitionem, & doctrinam
animi moderatione & iustitia, continentiaque vitæ, ac pietatis
confessione excellit.

XV.

Ex his iam facillè erit colligere id, quod his thesibus demon-
strare potissimum instituiamus: quinam nimirum sint pseu-
euangelici,

IV

euangelici, siue qui falsò Euangelicorum appellationem sibi tribuant, quamcunque tandem speciem in Ecclesia habeant.

XVI.

Ac de hæreticis quidem, id est, contra veritatem Euangelij de persona Christi, vel eius officio pertinaciter sentientibus, ac docentibus, aut illud cum Lege confundentibus; pronunciat Scriptura, eos transferri in aliud Euangelium, quod Christus non tradidit, & quantum in ipsis est, inuertere Euangelium Christi: esse vacuos Christo, & à gratia excidisse.

Gal. 2.

Gal. 5.

XVII.

Et licet Euangelium, & nomen Iesu, illorum plerique prætendant: nomine tenus id fit: & quoties ab Euangelij veritate vrgentur, ad humanas auctoritates confugiunt, sua somnia, falsasque hypotheses normam veritatis esse volunt, alij certos Euangelistas excludunt, vt Ebion & Marcion olim: alij noua quædam Euangelia iactant, vt Valentiniani faciebant.

Irenæus
lib. 3. ca. 11.

XVIII.

Alij contra veritatem Euangelij, beneficia Euangelij, societatem nempe cum Christo, regenerationem: imò ipsam electionem ad vitam æternam, ad reprobos ipsos extendunt: alij dona Christi, & efficaciam Spiritus Sancti elementis externis & corruptibilibus affigunt.

XIX.

Verùm contra hæreticos, aut eos qui in ipsa doctrina ab Euangleio aberrant, non est in præsentia nobis propositum multis differere: quod iam sæpe factum est, tum in doctrina de Electione æterna, de persona Christi, & eius officio, tum de Sacramentis: ita vt de rebus tam apertis, & sole lucidioribus respondere toties, nihil aliud esse videatur, inquit Athanasius, quàm hominibus tam prauè agentibus maiorem ansam improbitatis, audaciæque suggerere.

Ad Maxim.
Philosoph.

XX.

Disputandum nobis potiùs hoc tempore arbitror, contra eos pseudeuangelicos, qui in sinu nostro sunt, & Euangelio

gelio ad libertatem carnis abutuntur, & dum nihil nisi Euangelium, & Euangelicum nomen crepant, nihil minus quam Euangelicè viuunt, & agunt.

XXI.

In Psalm.
119.

Verissimè enim nobis competit, quod ab Ambrosio dictum est: *Quia amissimus exercitium, sc. crucis: tentant otia eos, quos bella non fregerant: periculosa quippe pacis otia, & in pace saepe plures hostes, persecutionesque grauiore orientur.*

XXII.

Imò (quod maximè dolendum) in illis ipsis Ecclesiis, quæ variis bellorum procellis iactantur, innumeros inuenias tam dissolutos, vt vita & mores ipsorum, Euangelicum spiritum, Euangelijque *ἐνέργειαν* planè non redoleant: quod facit, vt recorder eius querelæ, quæ extat Ezech. 20. *Domus Israël in ipso deserto mihi rebellis fuit, & iudicia mea proiecit.*

XXIII.

Machiauell. cap.
17. & 18.
de Princip.

In hac Pseudeuangelicorum classe primum locum tenent ij, qui Machiauellicis artibus, & principiis imbuti, tum ipsi per se religiosissimos se simulant, licet animum gerant profanum, & totum ambitioni, auaritiæ, aliisque cupiditatibus addictum, tum etiam principes viros ad huiusmodi simulationem assuefaciunt, ac interim pios ministros, & alios viros omnes sinceros & candidos clam in odium atque inuidiam vocant.

XXIV.

Lib. 1. Offi.

Totius certè iniusticiæ (vt præclarè Cicero scribit) nulla est capitalior, quàm eorum qui tùm, cùm maximè fallunt, id tamen agunt, vt viri boni esse videantur.

XXV.

Gen. 17.

Pf. 25.

Pf. 101.

Ideo iubetur Abraham coram Deo, id est, in omni integritate, tanquam coram conspectu Dei omnipotentis ambulare. Sicut & laudantur illa Dauidis dicta: *Ambulare fac me per veritatem tuam: Item: Integritas & rectitudo custodiant me: Item. Cor prauum recedet à me Detrahentem secreto proximo suo hunc excindam: Oculi mei ad fideles terra, vt sedeant mecum.*

XXVI.

Et his succinit Apostolus, Philipp. 1. *Sitis sinceri, vt in offensa pede*

pergatis ad diem Christi: Et ca. 4. Fratres: quaecunque sunt vera: quaecunque veneranda, quaecunque iusta: quaecunque pura, quaecunque amabilia, hac cogitate.

XXVII.

Inter pseudeuangelicos meritò etiam numerari, graui-
terque reprehendi, illi Ecclesiarum doctores, aut pastores
debent, qui licet non falsum doceant Euangelium, ad munera
tamen Ecclesiastica, & ad Euangelium docendum accedunt,
non vt seruiant Euangelio, sed vt eis Euangelium seruiat, vt
ferantur à cruce, non vt crucem ferant: & vel opes, vel digni-
tates consequantur, sicut hodie, proh dolor, permulti alacres
sunt ad præbendas magnas, redditusque opimos coaceruan-
dos, segnes ad curam pastoraalem.

XXVIII.

Tales erant illi, de quibus D. Paulus, Philip. 1. v. 2. & 3.
qui Christum non puro animo, & ex vero pietatis Zelo præ-
dicabant: quæ sua ipsorum erant, quærebant, non quæ sunt
Christi Iesu: nec ferebantur scopum versus ad palmam su-
pernae vocationis Dei in Christo Iesu: quorum Deus erat ven-
er, quique terrestria tantùm curabant.

XXIX.

In eodem numero, imò omnium perniciosissimi haben-
di sunt, qui nulla habita ratione veritatis, nulla ædificationis
& pacis Ecclesiæ, vt sua quædam dogmata tueantur, profa-
nos de rebus inanibus clamores excitant, & nouas quotidie
excogitant *ἀντιθέσεις τῆς ψευδωνύμου γνώσεως*: & animal ^{1. Tim. 6.}
ac dæmoniaca sapientia præditi, inuidiam amaram contra ^{Iacob. 3.}
alios retinent, & aduersus manifestam veritatem mendaces
esse malunt, quàm videri vinci à veritate: quæ tamen eos, vel
inuitos tandem vincet.

XXX.

Illos non temerè Augustinus idololatriis peiores pronun- ^{Epist. 48.}
ciat, qui scientes quod verum est, animositate peruersa contra ^{ad vincet.}
notissimam veritatem dimicant.

XXXI.

Sunt & illi pseudeuangelici doctores, & pastores, qui do-
ctrinam

B

ctinam

Arinam fidei sic tradunt, vt pœnitentiam, obedientiam Euangelio debitam, ac regenerationem prætermittant, vel admodum frigidè tradant.

XXXII.

Hinc emergit magna illa pseudeuangelicorum colluies, qui se totos Euangelicos putant, si diebus Dominicis particulam aliquam historiæ Euangelicæ audiant, semel in anno ex opere operato, præscriptis verbis confessi unculam aliquam in aures pastoris insufurrent, & die Paschatis hostiam (vt vocant) deglutiant.

XXXIII.

Interim eis totus annus in ebrietate, luxuria, maledictia, inuidia, rapinis, & alijs operibus carnis consumitur: eorum os blasphemijs scetet: nihil tam odiosum, tam prodigiosum ipsis, quàm si de nouitate vitæ, siue vita ad normam Euangelij componenda admoneantur: si quis vel moneat, vel bono exemplo præluceat, hypocrita, statim, aut Anabaptista vocabitur.

XXXIV.

Et hi sunt ferè nostri seculi mores: vt multi sint audiores verbi, factores pauci: multi nomine Euangelici, re ipsa pauci, ac si Euangelicum faceret auditus aliquis externus, vel externa professio, vel fides nos aliqua mortua, & otiosa iustificaret.

XXXV.

Tit. 1. Magnus denique est eorum numerus, qui se profitentur Deum scire, sed factis negant, cum sint abominandi, rebelles, & ad omne opus bonum reprobis: Vt verè omnino vsurpari illud Chrysostomi nostro tempore possit: *Ex moribus olim cognoscebatur Ecclesia Christi: nunc Christiani gentibus peiores sunt facti: Vnde igitur vera Ecclesia cognoscetur, nisi per Scripturas.*

Exposit. 2.
super Mat.
homil. 49

XXXVI.

Gal. 6. Interim Deus, qui scoriam ab argento, Zizania à tritico optimè discernere potest, sibi illudi non patietur, & quicquid seminauerit homo, hoc metet.

XXXVII.

1. Cor. 6. Is autem passim testatur, non solum idololatriam, & falsam

VI
tam doctrinam, cum veritate Euangelij pugnare, & à societate
vitæ æternæ excludere: sed & sceleratam vitam, cor prauum,
inuidias, cædes, ebrietates, & his similia: neque eam fidem se
agnoscere, quæ sterilis sit, & infructuosa. Gal. 5.
Eph. 5.

XXXVIII.

Sic enim & Christus ipse loquitur, Matth. 9. *Veni, ut vo-
carem peccatores ad pœnitentiam.* Et Iohann. 8. *Ego sum lux mun-
di: qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen
vitæ.* Vt & 1. Iohann. 1. *Renunciamus vobis, Deum lucem esse, nec
tenebras in eo vllas esse. Si dixerimus nos societatem habere cum eo,
& in tenebris incedimus, mentimur, nec sincerè agimus.* Et Mat.
14. *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum.*

XXXIX.

Vt rem itaque in pauca conferamus, causa tum formalis,
tum finalis hîc obseruanda est: Haudquaquam nimirum eum
cenferi Euangelicum, vel Christianum, qui talem se duntaxat
profiteatur: vel qui Baptismi, aut S. Cœnæ symbola percepe-
rit: Sed qui in Christum verè credat, Christum induat. Qui Gal. 3. & 5.
verò illum induunt, & Christi sunt, carnem crucifigunt cum
affectibus prauis, & concupiscentijs, & secundum ductum
Spiritus Sancti viuunt.

XL.

Et baptismus ipse nos admonet de mortificatione vitæ Rom. 6.
prioris, & ad nouam vitam quasi resurrectione, cum non in
depositione sordium corporis sit positus, sed in attestazione I. Pet. 3.
bonæ conscientiae coram Deo. *Noli ergo gloriari de Baptismo,* Tractat. 6.
inquit Augustinus, *quasi ex ipso tibi salus sufficiat: Non omnes in Iohan.
qui foris baptizantur, intus sunt baptizati: Foris multi baptismum
habent ad perniciem, vt Simon magus habuit: Intus si habueris,
prodest ad salutem.*

XLI.

Ita & fides illa demùm laudatur, quæ est viua, id est, quæ Iacob. 2.
se se exerit per opera, quantum illa in hac vita præstari pos-
sunt: & per charitatem, & alia pietatis officia est ενεργημένη: Gal. 5.
Sed rursus, vt monet Chrysostomus, ἡ δὲν ὄφελος ἀγάπης πί-
στεως χάρις: ἡ δ' ἂν γένοιτο ἀγάπη ἐτέρως.

B 2

XLII.

XLII.

Causam porrò finalem aduentus Christi in mundum, & prædicati Euangelij, hanc passim tradit Scriptura: non solum, vt intellectus illustretur cognitione gratiæ diuinæ, vel vt redimeremur à maledictione Legis: Verùm etiam vt insiti Christo, & participes facti spiritus eius: nouæ creaturæ, scilicet quoad qualitates, & nouos sanctosque motus, fiamus. 2. Cor. 5. Gal. 6. Eph. 4. v. 24. Item, Coloss. 1. *Vos quondam ab alienatos, & hostes, mente operibus malis intentas, recõciliauit, vt sisteret vos sanctos, & irreprehensos, & inculpatores coram se: siquidem permanetis in fide fundati & firmi, nec dimouemini à spe Euangelij, quod audistis. Et. 1. Thess. 4. Nostis quæ mandata dederimus vobis per Dominum Iesum: Nam hæc est voluntas Dei, nempe sanctificatio vestra*

XL III.

Cæterum nunc paucis occurrendum est morosis nonnullis hominibus, Donatistis, Anabaptistis, & Schvvenckfeldianis, qui ex tot pseudeuangelicis, qui inter nos viuunt, concludere volunt, cætus nostros nõ esse Euangelicos, nec nostrum Euangelium verum illud Christi Euangelium: ideo iustam se occasionem habere subducendi se à nostris cætibus.

XLIV.

Lib. 3. de
Bapt. cõt.
Donatist.
Cont. ep.
Parmen.
ho. 3.
Cõt. Cres.
con. Grã.
mat lib. 3.

Meras certè illi nebulas imperitis offundunt, vt de Donatistis sui temporis scribit Augustinus: Et sacrilega præsumptione secedentes à nostris cætibus, se solos sanctos arbitrantur: Nam & multa crimina grauissima, quæ illis ipsis sæpe obiiciuntur, negare non possunt: & in nostris Ecclesiis partim culpant, quæ culpanda non sunt: partim ea obiiciunt, quæ probare haudquaquam possunt: partim ex illis næuis, qui inter nostros conspiciuntur, alienas astruunt conclusiones.

XLV.

Habac. 2.

Ebrietatem, temulentiam obiiciunt ij, qui superbia & contentu proximi, omnium periculosissima ebrietate temulenti sunt: de fructibus laborant, de radice interim parum solliciti, quæ si bona non est, nec fructus boni esse possunt.

Matth. 12

XLVI.

Ac Schvvenckfeldius quidem in suo tractatu de Euangelio, & abusu

71
& abusu Euangelij, non tam Euangelicos, quàm ipsum Christi Euangelium subfannat: negans Euangelium proprie dici prædicatam de Christo doctrinam: sed internum quendam afflatum, quem Christus ipse extra prædicationem in cordibus hominum efficiat.

XLVII.

Euangelicos etiam non ut nos, definit, baptizatos in nomine Christi, & prædicatum Euangelium audientes cum obedientia fidei: sed cœlitus renouatos, & aqua cœlesti baptizatos; separans spiritus Sancti efficaciam ab Euangelij prædicatione.

XLVIII.

Ita homo ille vnum extremum fugiens, eorum scilicet, qui spiritus Sancti efficaciam omnem, vel ad professionem externam, vel ad signa externa alligant, in alterum extremum incidit; negans prædicationem & sacramenta esse instrumenta, per quæ Christus & spiritus Sanctus efficaciter in electis operentur, ut conuertantur, regenerentur, fidesque exciteui & confirmetur.

XLIX.

Exagitat in primis dicta quædam Lutheri, qui dixerit, nullum peccatum nocere credenti, & omnia peccata in Christi cruce crucifixa fuisse: solam nobis Fidem ad salutem necessariam: nec animaduertit primùm ita extolli fidem contra Pharisæicam opinionem de iustitia operum: Deinde, excludi opera à causa, & merito iustificationis: non autem à moribus iustificatorum.

L.

Denique, ut sæpè Donatistis respondit Augustinus, non obseruant illi homines, Ecclesiam in Scripturis dici sanctam, non quòd iam talis sit habitualiter, sed propter imputationem obedientiæ Christi, & propter vocationem ad sanctitatem, in qua fideles quotidie proficere debent.

LI.

Quapropter Euangelicæ manent nostræ Ecclesiæ, licèt inter nos multi sint pseud euangelici, quemadmodum & tales in Christi contubernio & Apostolorum cœtibus fuerunt.

LII.
Nam & tota veritas Euangelij de fide in Christum, & moribus iustificatorum, siue obedientia Euangelio debita fideliter in nostris Ecclesiis traditur, & grauitur quotidie reprehenduntur, qui ab illo scopo aberrant, licet nos multa zizania usque ad Christi aduentum tolerare oporteat, & illud libenter largiamur, inter Euangelicas Ecclesias alias aliis propius ad veritatem Euangelij accedere.

LIII.
Et deplorant quotidie multis cum gemitibus omnes pij pastores Euangelici in nostris Ecclesiis tantam securitatem, & *ἀταξίαν*, tantam iuuentutis petulantiam, atque licentiam, exoptantque maiorem zelum, nec non accuratorem Ecclesiae politiam, quo ad censuras, & admonitiones publicas & priuatas & excommunicationis usum, propter certas causas in nonnullis locis, ubi praesertim nimis multi sua sponte se a coetibus subducunt, intermissum.

LIV.
Et operae pretium omnino esse vident iidem pastores, ut quemadmodum Lutheri tempore contra imaginariam & monasticam iustitiam operum, doctrina de sola fide iustificante inculcata fuit: sic nunc hominibus in tantam securitatem & profanitatem ruentibus, contra fidem mortuam frequenter disse-ratur, & doctrina de fructibus fidei, sicut a D. Iacobo in epistola factum est, diligentissime inculcetur.

LV.
Interim intolerabilis est Anabaptistarum, & Schvvenckfeldianorum morositas, qui in nequos duntaxat nostrorum, oculos coniciunt, totique in examinandis & exagitandis aliorum vitiis occupantur: saluberrimam vero doctrinam, quae in nostris Ecclesiis proponitur, & tot hominum millia, qui cum gemitu vident profanitatem huius seculi, & abnegantes seiplos Christo per gloriam & ignominiam seruiunt, non agnoscunt, neque collaudant.

Bernardus Dominica 6. post Pentecost.

Euangelium speculum veritatis nemini blanditur: neminem seducit.

FINIS.

VI



Umg. VI 45

ULB Halle 3
002 379 767




s. b.

WDA





T H E S E S
**CONTRA PSEVDE-
VANGELICOS**
PROPOSITÆ
*IN ACADEMIA HEIDEL-
bergensi, ut de eis Christiana* *συ.*
ζήτησις instituatur,
Præfide
**DANIELE TOSSANO, S. THEO-
logiæ, D. & professore,**
RESPONDENTE.
GEORGIO REINMANNO
DRESVRTENSI HASSO.
Calend. Nouembr. in auditorio Theologico.



HEIDELBERGAE,
Apud hæredes Smesmanni.
ANNO clō. lō. xcV.

25